Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26147
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uerbum caro factum est. in uerbo intelligo uerum dei filium. in carne Augustinus
agnosco uerum hominis filium. et utrumque simul unam personam
dominum et hominem ineffabilis gratie largitate coniunctum. Idem
in enchiridion. Christus iesus deus de deo est. homo autem natus est de
spiritu sancto ex MARIA uirgine. Utraque substantia diuina scilicet et
humana. filius est unicus dei patris omnipotentis. de quo procedit spiritus
sanctus. utrumque tamen unus. sed aliud propter uerbum. et aliud propter hominem.
non duo filii deus et homo. sed unus dei filius. deus sine initio. homo a
certo initio. Item in eodem. Quid natura humana in homine Augustinus
meruit ut in unitatem persone unici filii dei singulariter
assumpta esset. Que bona (uoluntas, que bona) opera precesserunt. quibus mereretur
homo iste una fieri persona cum deo. Nunquid antea fuit homo.
et hoc ei singulare beneficium prestitum est. ut singulariter
promereretur deum. Nempe ex quo homo esse cepit. non aliud cepit esse
homo quam dei filius et hoc unicus. et propter dei uerbum. quod illo sus
cepta caro facta est utique deus. ut quemadmodum est una per
sona quilibet homo. anima scilicet rationalis et caro. ita sit christus una
persona uerbum et homo. Idem super iohannem. Agnoscamus geminam Augustinus
substantiam christi. diuinam scilicet qua equalis est patri. et humanam
qua minor est patre. utrumque autem simul non duo sed unus est christus.
ne sit quaternitas non trinitas deus. ac per hoc christus est deus anima ra
cionalis et caro. Idem quoque in libro de predestinatione sanctorum. Augustinus
Ille homo ut a uerbo patri coeterno in unitatem persone assumptus
filius dei unigenitus esset. unde hoc meruit. Quod eius bonum
precessit. ut ad hanc ineffabilem excellentiam perueni
ret. faciente ac suscipiente dei uerbo. Ipse homo ex quo esse